F. E. BRVCKMANNI,

MED. DOCT. ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOSOR. ET
SOC. REG. PRVSS. SCIENT. COLLEG. ET
PRACT. BRVNSVICENS.

SPECIMEN POSTERIVS
BOTANICO-MEDICVM

EXHIBENS

ARBOREM
LIMBOWE
DREWO,

EIVSQVE

OLEVM
LIMBOWI OLEY

DICTVM.

CVM FIGVR.

BRVNSVIGAE
APVD LVDOLPH. SCHROEDER.
MDCCXXVII.

NOBILISSIMO,
EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO VIRO,

DOMINO

DN. IOH. HEINR. BVRCHARD,

(MED. DOCT. CONSVLTISSIMO, CONSILIARIO PRVDENTISSIMO ET SERENISSIMI DVCIS BRVNSVICENS. ET LVNEBVRG. ARCHIATRO CELEBERRIMO, BOTANICO HVIVS SECVLI PRINCIPI, RERVMQVE NATVRALIVM AESTIMATORI SINGVLARI,

FAVTORI SVO

OMNI HONORIS ET OBSERVANTIAE CVLTV DEVENERANDO

HANCCE EXERCITATIONEM

DE

LIMBOWE DREWO

DEVOTA MANV OFFERT

F. E. BR. Med. Doct.



PRAEFATIVNCVLA.

LECTORI SALVTEM!

Historiam naturalem & medicam fruticis Carpathici Koszodrevvina dicti, ejusque saluberrimi balsami, ante aliquot praetergressas hebdomadas Lectori benevolo tradidimus, nunc quoque secundum nostra promissa, Arboris Carpathicae, ejusque praestantissimi Olei, prius, nempe fruticis supradicti, virtutibus adhuc prapollentis, ea, qua fieri poterit, brevitate, exhibebimus. Speramus hanc non minus relationem, quam priorem, Lectori jucundam futuram, cuius perpetuo & constanti favori nos optime commendamus.

SPECIMEN BOTANICO-MEDICVM EXHIBENS ARBOREM LIMBOWE-DREWO EIVSQVE OLEVM LIMBOVI-OLEY DICTVM.

§. I.

QVatuor Carpathicorum Hungariæ, ferme totius Europæ altiſſimorum montium, regiones priori ſtitimus ſpecimine, quarum ſecunda, pedem montis excipiens, erecta quadam & ſemper virente arbore gravida eſt & ſuperbit, quæ *Pinus Carpathica*, accedit enim proxime ad Pinum, Slavis *Limbovve Drevvo* & Germanis *Limbaum* audit, male vero *Tilia*, cum qua nec ullam habet convenientiam, vocatur. Dicitur vero *Arbor Carpathica* ad diſtinctionem Fruticis Carpathici, qui in tertia horum jugorum regione læte viret & ramos ſuos hinc inde prope terram diffundit, hæc vero planta, de qua in praeſenti nobis ſermo, erecta ſtatura in atmoſphæram ſurgit

ſurgit, inque ea ramos ſuos in omnes plagas ſpargit. Priori ſpecimine laudatus Dn. Doct. Fiſcher vocitat hanc arborem *Libanum Carpathicum* partim ob odorem, quem planta hæc de ſe ſpargit, Olibano vel Thuris Gummi odorato æmulum, partim propter egregias & excellentes virtutes, quæ meliores & præſtantiores in hac arbore, quam ſupranominato frutice obſervantur. Carpathicus vero appellatur, quoniam nullibi, quantum quidem hactenus apud nos conſtat, creſcat, quam in his nivis montibus. Primus eum detexit Chriſtianus ab Hortis, celeberrimus olim Käsmarkienſium Medicus & Phyſicus, hanc montium ſeriem Anno 1683. ſuperiori ſeculo perſcrutans, qui quoque paulo poſt deinde modum ex iſta arbore delicatiſſimum & ſaluberrimum balſamum vel oleum ſuaviſſimum parandi ſcite docuit.

§. II.

Hic Libanus Carpathicus amœniſſimi aſpectus arbor eſt, reſinifera & conifera, decorâ magnâque proceritate erectâ in altitudinem notabilem aſſurgens, lata ramorum perpetuo viridantium expanſione & umbra recreans, extus cortice vel corio inæquali rugoſo ſquammoſo puniceo tecta; ramis & ſurculis, foliiſque acutis & pun-

pungentibus, totam ramorum peripheriam undique optimo ordine ambientibus, veſtita, fructus conis pini ſimiles, ſed edulibus nucleis gravidos ferens, oleumque ſaluberrimum in multis humani generis infirmitatibus admodum utile & proficuum largiſſima manu præbens.

§. III.

Arborem eſſe patet ex definitione arboris; eſt enim planta lignea procera in altitudinem plus minus notabilem ſurgens, lata ramorum expanſione, caudice vel trunco intus medullato circa ambitum dureſcente gaudens, extus cortice craſſo, ceu munimento adverſus aëris injurias, circumdata. Porro ad reſiniferas pertinet, quia reſina & oleum reſinoſum vel ſponte vel vulnere inſtrumentô inflicto ex ea abundanter emanant, ramorumque præterea apices optimum ſtillant largiſſime balſamum, ipſique fructus interdum quanti quanti reſina fragrante obducti inveniuntur & ex arbore detrahuntur. Porro e coniferarum claſſe eſt, nam ſtrobilos fert ſquamoſos, breviores quidem abietis conis, longe tamen hiſce craſſiores. Altitudine ſæpe numero excelſam anteit pinum, ſtatura gaudet erecta in omnem mundi plagam ramorum elegantes de ſe ſpargens ordines, quarum umbra laſſos miri-

mirifice recreat, & ad somnum jucundum invitat. Cortex est rigidus & squammosus ad pini corium proxime accedens, resinam exsudans copiosissimam liquidam. Flores habet imperfectos stamineos cum reliquis arborum coniferarum speciebus communes. Foliis gaudet nunquam non viridibus, licet niveo amictu in media hyeme tectis, acutis & pungentibus, instar pini vel abietis acuum, longitudine tamen & resinositate hisce longe præferendis. Fructus hujus arboris sunt receptacula nucum parvorum, magnitudine, substantia, colore, odore, sapore & cortice ad Pineolas accedentium, quibus quando durior cortex osseus detractus vel fractus, delicatum candidum nucleum esui porrigunt, Magnatum mensis secundis vel per se vel conditum apponendum. Arbor hæc conifera durat & viret omni anni tempore, licet

Tristis hyems viridi spoliavit prata decore,
Decussit sylvis rigor omnem australis honorem,
Nudavit frondes foliis, rapuitque virorem;
En nec ager fruges, nec vinea possidet uvas,
Nec salices ripis, nec robora monte virescunt,
Gramina jam nec humus monstrat viduata nec herbas,

Nul-

Nullis jam florum sunt picta coloribus arva,
Deciduæ durantur aquæ, rivique gelantur.

Viridi coma semper superbit, & omnem frigoris inclementiam & rigorem balsamo suo nativo & calido eludit, ventorum injurias spernit & contra Syrii ignei æstum adurentem sua fronde se munit. Balsamum reliquum vel oleum gratissimum, **Limbaum-Oehl/** dictum, vel sponte vel arte productum largiter, quod multis hominum malis optime medetur, & de quo mox plura faciemus verba, exhibet. Appropinquantium naribus refectionem hoc vegetabile arboreum dat odoribus suaveolentibus plenam, præsertim florido vernali tempore, exhalat enim effluvia grata, & quidem ea eo largius & facilius, dum radii solares in hanc plantam evibrati succum inibi contentum attenuant, dissolvunt, rarefaciunt, texturam vegetabilem laxant, poros ampliant, quo facto, aër tunc subtilisata abripit effluvia & ad organum olfactus naresque convehit.

§. IV.

Nec frutex, de quo in priori specimine, nec arbor Carpathica transplantatæ in aliam, extra montium lapidosam saxosamque, regionem propagantur, ad tempus quidem, sine incremen-

mento tamen, propter balsamum adhuc in visceribus suis nutritioni aptum delitescens, virent, quo vero consumto, nec terræ gremium novum idoneum pro augmento ulterius suppeditante, emoriuntur, nec ullibi, nisi in montoso illo tractu patrio, soloque natali speciem suam conservant. Ipsimet vidimus superiori anno Käsmarkii, quod ad radices tamen montium situm est, nec procul distat, juniores quasdam arbusculas in Reverendissimi cujusdam verbi evangelici ministri, Domini Joh. Lany, horto aliquot ante nostrum in hanc Regiam liberamque Hungariæ Comitatus Scepusiensis urbem adventum satas, quæ jam frondibus dimissis suis ad terram pendulis solum nutritioni haud adæquatum & conveniens accusare & diem emortualem minari videbantur.

§. V.

Hinc inde naturales plantarum historias perscrutantes, & commodum genus, ad quod posset referri, & quocum characterem analogum haberet, quærentes, incidimus tandem in Pinum, sic dictam, sativam & domesticam, a qua parum recedere cognovimus, uti ex sequentibus melius patebit. Pinus domestica s. sativa der zahme Fichtenbaum/ in territorio Florentino

& ad promontoria littoraque maris Tyrrheni, & quibusdam aliis Italiæ calidioribus provinciis nascens, statura erecta & alta est, foliis ornatur longis & acutis, fructu gaudet magno coniformi ex multis duris & ligneis fere squammis, sub quibus oblongæ rotundæque parvæ nuces, quarum nuclei, detracto & fracto cortice duro, albi, oleosi & dulces sunt, vocanturque Nuclei Pineæ, Pinelen, Pignolen, amandes de fruit du Pin, Zirbel oder Thau-Nüßlein &c. latent, constante. Noster Libanus nihil aliud est, quam istiusmodi pini species, de foliis & fructu nihil amplius addemus, cum supra jam fusius de istis loquuti simus, & quilibet facile quoque hanc nostram cum illa Florentina comparare poterit arborem. In hoc saltim puncto recedit, quod noster Libanus fructum coniformem ferat minorem sub qualibet squamma singularem modo nucem monstrantem, cum supradictus littoris Tyrrheni strobilus major sit, & sub singulis squammis ligneis binos largiatur nucleos, magnitudine tamen & forma externa, colore, odore, sapore & reliquis attributis ab istis non dissimiles, quos etiam inter se commixtos nullus, facile separare & scjungere a se invicem poterit. Summa cura summoque studio omnia, quæ corradere licuit,

cuit, Botanicorum ſcripta evolvimus, nullum autem horum, qui hujus plantæ vel titulo adjeciſſet mentionem, invenimus, & forſan adhuc diutius in hiſce frigidis montibus ſine uſu aliquo, qui nunc culinaris & medicus eſt optimus, abjecta latuiſſet, niſi jam ſæpius nominatus Medicus Käsmarkienſis, ab Hortis dictus, ſuperiori ſeculo eam detexiſſet, & oleum ex ea paraſſet haud injucundum. Poſt cujus fata & tempora arboris hujus & olei nomen excellentiſſimus Dom. Doct. Milleter ſuæ eruditiſſimæ diſſertationi de morbo Tſömör, Lugduni Batavorum 1717. publice in cathedra ventilatæ, pagina ultima adjecit, ſine ulla vero uberiori deſcriptione. Eodem quoque anno D. Doct. Dan. Fiſcher, amicus noſter ſingularis, plenariam delineationem celeberrimo Vratislavienſium Medicorum Collegio, quod iſtam, ſat erudite elaboratam, ſuis Annalibus Menſ. Novemb. Claſſe IV. Articul. X. pag. 331. inſeruit, communicavit. Ultimo quoque Reverendiſſimus animarum Poſonienſium Evangelicarum Medicus, Matth. Bel hancce arborem Carpathicam breviter ejusque oleum in ſuo Hiſtoriæ Hungaricæ Novo-antiquæ Prodromo optime de melioriqne nota commendavit, putavitque, Cedri ſpeciem vel eſſe, vel Ce-

dro ſaltim cognatam arborem, niſi multa; quæ Botanographi de Cedro Libani montis memorant, non concordarent cum noſtra planta; Cum Cedro enim hoc ſaltim commune habet, quod lignum ejus æternæ ſit durationis, corruptionem nullam, putredinem, cariem verminoſam atque tinearum, aliorumque lignivoracum inſectorum, morſus & ictus unquam ſentiat.

§. VI.

Tandem & ad uſum, qui triplex eſt, hujus arboris calamo noſtro progreſſum facimus, primus eſt culinaris & œconomicus, lignum ad coquendos cibos aptiſſimum eſt, flammamque derepente ob reſinoſitatem ſuam, qua ſcatet, facile concipit, & inſtar abietis vel pini ligni cito in fumum abit & deflagrat. Secundus mechanicus eſt, cum enim cariei putridæ & verminoſæ, tinearumque terebrantium prorſus ignarum ſit, & materiam æternam conſtituat, optime ad magna & ſplendida Magnatum ædificia, poſteritati & æternitati conſecranda, in uſum trahi poterit; inſcii quidem ſumus, an unquam ad hæc uſurpatum, nec ne? vel an ex his præcipitibus Alpibus ſine magna pecunia ingentique ſumtu deferri poſſit?

Tertius uſus eſt medicus, qui varia non inutilia porrigit medicamenta & quidem

1.) *Lignum*

I.) *Lignum cum cortice*, quod balsamicum & resinosum, diureticum, diaphoreticum, antiscorbuticum & vermifugum est, reliquum & easdem virtutes, ligno nephritico & fruticis Carpathici adscriptas & tributas, eminentiori gradu adhuc possidet. D. Doct. Dan. Fischer duo composuit medicamenta & in officinas Käsmarkienses & Nicolaënses introduxit pharmaceuticas, Essentiam nempe compositam contra vertiginem, in affectibus capitis nunquam satis dilaudandam, & Elixir antivenereum, in lue turpi Gallica universali & particulari præstantissimum, in quorum compositiones & hoc lignum cum cortice recipitur, prius medicamentum sequens est:

℞. Ligni Libani Carpath. ℥ij.
Aloës ℥iß
Castor:
Ambræ Grys. aa ʒij. M.F.I. a. cum Spiritu vini rectificat: Essentia.

Posterius vero in hunc paratur modum:

℞. Balsam. Hungar.
ex Libano aa. ʒj.
Gum. Guajaci veri ʒiij.
Mumiæ transmarin. ℥ij.

 Olei

Olei ligni Saſſaf. ʒj.
Spir. Cochlear.
Juniper.
Carpathi ſ. ferment.

Libani Carpath. aa. q. S. F. l. a. Elixir, cui adjici poteſt Sal. Tartari parum, ad meliorem ſpecierum extractionem.

§. VII.

2.) *Eſſentiam ligni Carpathici* Spiritu vini rectificatiſſimo extractam; uſum & virtutes cum ligno & Eſſentia ex ligno fruticis Carpathici præparata, de qua in priori Schediaſmate loquuti ſumus, easdem habet & in praxi eundem præſtat effectum.

§. VIII.

3.) *Spiritum per fermentationem & ſine ea paratum*, qui in- & externe adhibetur; priori modo aſſumtus efficaciam ſimilem cum antecedente Eſſentia ſpondet & promittit; poſteriori vero, tumoribus illitus, eos reſolvit & diſcutit, enormesque podagricorum cruciatus lenit & ſedat.

§. IX.

4.) Reſinam vel Sponte e corticibus & fructu enaram, vel vulnere inſtrumento quodam ferreo facto prolectam, commendamus in

affe-

affectibus Scorbuticis & Venereis non sine fructu adhibendam, balsamica est & Sanguinem impurum mundificat. Credimus firmiter succinum Carpathicum, hinc inde in montibus repertum & collectum, cujus etiam portiunculam a Reverendissimo clarissimo nationis Slavicæ Käsmarkiensis concionatore & Rectore Gymnasii illustris istius urbis fidelissimo, Dom. Buchholtz. accepimus, & in nostra rerum naturalium collectione , simul cum aliis naturalibus, quæ nobis præsentibus muneri dedit, in istius clarissimi viri memoriam asservamus, nihil aliud esse, quam resinam hujus arboris puram sponte natam & ex arbore deciduam , quæ tractu temporis, solis ardore, frigorisque vi accedentibus, in tantam, quam nunc præ se fert, succino Maris Balthici vero æqualem, duritiem abiit & induravit.

§. X.

5.) Fructum, Slavis *Schulky Limboreje*, Germanis Limbaum-Frucht / dictum, quem Magnatum procerumque Hungariæ mensis apponunt, easdem habere virtutes nutritivas & usum medicum, ac Pineoli Italici, experientia docuit; excorticati enim & a pellicula mundati nuclei, albi & oleosi optime corpus nutriunt, semen augent,

gent, hectica & phthisi decumbentibus solatium afferunt, bonumque succum nutritium addunt; acres, salsos & scorbuticos humores edulcorant & jucundum excitant somnum &c. Oleum ex iis, non secus ac ex Pini sativæ nucleis parari potest, residua pars crassa & surfuracea cosmetici loco ad manus mundificandas valde apta est.

§. XI.

6.) *Oleum* vel *Balsamum Hungaricum* cum epitheto, *ex Libano*, vel *Oleum Carpathicum ex Libano*, ad distinctionem â Balsamo Hungarico e frutice Carpathico parato. Inventionis gloria assignatur Christiano ab Hortis, natione Silesio, Nobili Hungaro & Medico celeberrimo. Germani id vocant Limbaum-Oehl/ Slavi *Limbovvi Oley*, quidam, mutuato a Germanis nomine, sed incongruo & minus apto, *Oleum Tiliæ*, appellant, arborem enim non Tiliæ, sed Pini speciem esse fusius §. V. docuimus. Hoc oleum quadruplex est: 1.) Natiuum, quod sponte ex ramorum apicibus exsudat, & in appensa vasa depluit vitrea & colligitur. 2.) Destillatum. 3.) Expressum & 4.) coctum. Cum vero hi processus nihil distent a modis præparandi oleum ligni curvi vel falcati, lectorem ad prius schediasma remittimus, ne ad nauseam cramben bis coquamus.

§. XII. Balsa-

§. XII.

Balsamum hoc est album, pellucidum & admodum fluidum, saporis calidi & penetrantis gratissimi, odoris Carvi, sed longe gratioris, non sine singulari efficacitate morbis quam plurimis medetur. Destillatur, coquitur & exprimitur rudi arte sine notabili encheiresi in iisdem duobus antecedente specimine nominatis pagis a gente rustica, quæ id postea oleorum circum foraneis tradit, ad alibi locorum per Hungariam Transylvaniam distribuendum & vendendum. Nativum Balsamum reliquis arte paratis oleis excellentius est. Dosis pro diversitate ætatis sexus, subjectorum & morbi variat, non facile autem ultra X. vel XII. guttulæ una vice assumuntur.

§. XIII.

Quod tandem demum ad usum & virtutes attinet, sequentes ab autore & inventore laudantur, magnisque encomiis extolluntur:

1.) Dienet er/ der Balsam / vor den Schwindel des Haupts/ nur auf die Nacht die Schläffe darmit bestrichen/ es hilfft wohl.
2.) Ist das Oehl sehr gut für das Gehör / und für das Sausen der Ohren / nur in die Ohren getropfft / so vergehtes bald.
3.) Ist das Oehl sehr gut für die Hitz und Ohnmachten

des Hertzens / des Morgens und Abends 4. Tropffen in Wein gebraucht.

4.) Ist das Oehl sehr gut für schwere Kranckheiten / nur 6. Tropffen in Wein gebraucht.

5.) Ist das Oehl sehr gut für den Bruch der Alten / und Jungen Kinder / des Morgens und Abends von diesem Oehl gebraucht / ein alter Mensch 6. Tropffen und ein Junges Kind 2. Tropffen in Mutter-Milch vermenget / oder in anderer Milch.

6.) Ist das Oehl gut für langwehrende Kranckheiten / des Morgens und Abends von diesem Oehl gebrauchet / es mag seyn in Brantwein oder Wein / es schadet nicht / dann dieses Linbaum-Oehl heilet auch alte und neue Schäden und Wunden / darum will ich nicht viel Wörter machen / weil man das Oehl viel lieblicher / köstlicher und edeler kan gebraüchen / als das Krumholtz-Oehl. Hactenus Ch. ab Hortis.

Circum foranei autem in sua schedula, quam emptori pro informatione & legitimo usu simul cum oleo exhibent, has recitant vires;

Receptum de virtute & efficacia
Olei Tiliæ.

1.) Bonum est hoc oleum contra vertiginem capitis, si eodem vesperi tempora inungas. Multum juvat.

2.) Proficuum est contra surditatem & aurium tinnitum, si guttatim immittatur in aures.

3.) Utile est contra calores internos, cordis deliquium, & palpitationem, manc & vesperi

ri ex eo IV. guttæ in vino adhibeantur.

5.) Bonum est contra herniam, tum adultorum, tum infantum mane & vesperi sumptum, adultus quidem 6. guttas, infans autem 2. sumat lacte matris, aut alio lacte permistas.

6.) Denique proficuum est oleum hoc contra diuturnos morbos, si mane & vesperi sumatur, sive in vino adusto, sive usuali nihil refert; hoc enim oleum Tiliæ externe & interne adhiberi potest, & sanat tum antiquos, tum recentes morbos & vulnera.

§. XIV.

In fine casum adjiciemus, & virtutem hujus olei antispasmodicam propria experientia confirmabimus: Fœmina quædam hic Brunsvigæ in tertium mensem gravida, temperamenti phlegmatici, dolores, spasmos & tremores artuum, manuum & pedum, quatuor circiter post pastum horis nocturno tempore sentiens, cum enormi frigore, anxietate cordis & asthmate quasi convulsivo. Ut auxilium ferremus derepente vocati, in lecto, ac si nullo non momento extremum vitæ halitum efflare & exspirare cogeretur, invenimus; statim autem curavimus afferri hoc balsamum, & octo guttas in aqua Cinnam: s. v. exhibuimus, quibus assumtis libere spiri-

ſpiritum trahere incipiebat, remittente ſimul cordis anxietate. Poſt horulam ſitiebat, dari curavimus infuſum Herbæ Thée boût commixtum cum IV. guttulis iterum hujus Carpathici balſami, interdum enim adhuc ſpaſmi manus pedesque retrotrahebant. Quo facto domum rediimus, & altero mane pro reſtitutione in meliorem ſtatum gratias nobis miſit, & nunc priſtina iterum valetudine gaudet.

§. XV.

Plura non reſtant, quæ afferre poſſemus de hac præſtantiſſima & univerſali fere Hungarorum Panacæa. Honorandus lector benevolo & amico accipiat animo & nos porro favore ſuo proſequi pergat.


Explicatio Figurarum.

II. Siſtit ramum hujus arboris cum ſuis foliis acutis.

III. Fructum integrum coniformem cum ſuis nucleis intus ſub ſquammis deliteſcentibus.


IV. Nucleos binos & fructu ſolutos, Pineolis Italiorum non abſimiles.

FINIS.



auffmann sculp Wolff

2


VI
Fig. I
IV
V
IV.
IV.
III.
II.
III